LAUDATIO

IN FUNERE

JO: ANDREAE AVOGADRI

EPISCOPI VERONENSIS

HABITA IN ÆDE CATHEDRALI PATAVINA
KAL. FEBR. ANN. MDCCCXV

AB

ANTONIO NODARI

IN SEMINARIO PATAVINO

ACADEMIAE PRAECEPTORE

PATAVII
TYPIS SEMINARII
MDCCCXVI.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

FRANCISCO SCIPIONI

DE DONDIS AB HOROLOGIO

EPISCOPO PATAVINO

COMITIQUE SACCENSI

D. M. P.

F.

Solent, qui opus aliquod in lucem edunt, in eo valde esse solliciti, ut patronum ac maecenatem egregium perofficiose sibi quaerant ad gratiae et benevolentiae praesidium. Quam quidem consuetudinem uti laudo, ita non possum quin aliquando mirer, iis persaepe opera dicari, ad quos vel nihil pertinent, vel certe parum. Quod verendum mihi non est, qui orationem hanc in funere Joannis Andreae Avogadri episcopi veronensis, ac patrui mei aman-

tissimi habitam, ereptamque ab auctoris manibus nihil tale cogitantis, Tibi potissimum, Maecenas amplissime, instituo, ad quem maxime spectat. Sive enim eum considero, qui laudatur, sive qui laudat, sive tamdem qui laudationem tuo nomine ornatam publici juris facit, vix alium quempiam video, cui magis quam Tibi conveniat. Laudatur Antistes, quicum Tibi ut dignitatis, sic virtutis communio. Laudator vero is, cujus labores me hortante susceptos, tamquam aliquos sui fructus ingenii, non potes non habere pergratos, quandoquidem in tuo Seminario, uberi velut in horto, altus et educatus. Ille demum laudationem in observantiae monumentum Tibi sistit, qui magnis tuis beneficiis se devinctum fatetur vel ex quo humanioribus litteris et gravioribus disciplinis imbutus fuit in eodem tuo Seminario. Spero igitur fore, ut hisce nominibus oblatum hoc munusculum pro summa tua benignitate humaniter excipias.

Quod non tam facile praevideri potuisset, id reapse contigit perbrevi temporis spatio, Auditores, ut qui nuper casu misero nec opinato afflicti fuimus ac perculsi, nova nunc aegritudine et infortunio afficeremur. Vix enim abstersis lacrimis, lenitoque moerore, quem ab interitu cepimus viri optimi et clarissimi Mauri Marii episcopi dorensis (1), cogimur iterum, obducto quasi vulnere recrudescente, alterius antistitis luctuosissimum funus conqueri ac lamentari. Ereptus enim nobis est ille, quem jacentem adspicimus, cujus ferale monumentum et lugubres exuvias intuemur, Joannes Andreas Avogadrus episcopus olim veronensis. Quamquam, hoc sublato, non tanta videtur esse doloris causa, nec tanta jacturae calamitas. Virum enim amisimus gravi fortuna oppressum, privatos inter parietes jamdiu delitescentem, tectum obscuritate et oblivione, diuturno morbi squalore obsitum, aetate confectum, populo paene ignotum, talem



(1) Maurus Mari episcopus dorensis, carum bonis omnibus nomen, e vivis discessit unum fere mensem ante obitum Avogadri.

denique, ut nec ingentem vestris animis excitare tristitiam, nec splendidam ac luculentam mihi dicendi copiam suppeditare posse videatur, Ita ne vero, Auditores? Immo potius amisimus virum magnum atque praeclarum, antistitem amisimus summae auctoritatis ac gloriae. Quod quidem haud difficile vobis erit ad judicandum, si non tam ejus vitae finem respicere velitis, quam ad superiorum recordationem temporum revocare animum, et praeterita admirari. Ejus profecto latitans virtus ex illis tenebris in veritatis lucem proferenda est. Triplex igitur quasi campus vobis objicitur, in quo se ad veram gloriam natura factum, ingenio et educatione optime institutum semper praestitit Avogadrus et commendavit. Horum itaque prior amplissima est Societatis Jesu Religio, cui a prima adolescentia se totum devovit; alter veronensis Ecclesia, quam rexit episcopus; tertius demum Italia ac Germania, quas euangelicae legis praeco eloquentissimus tanta cum laude ac fructu peragravit. Magnum sane spatium ac late fusum, quod cum dignitate percurrere non est ingenii mei tam exigui, non hujus aetatis meae, non mearum virium, in tanta praesertim angustia temporis, quod ad me comparandum concessum fuit; in hac tanta templi luce ac majestate; in conspectu illustrissimi atque spectatissimi Antistitis, cujus sapientiam valde vereor; coram nobilissimis et reverendissimis Patribus, quorum honestor praesentia; coram lectissimis Viris unaquaque scientia praestantibus, qui rebus magnis assueti mirari nesciunt nisi grandia; coram reliquis Auditoribus ornatissimis, qui ad condecorandam hanc funeris pom-

pam publica luctus atque moeroris significatione convenerunt, Quocirca sustineat me huic oneri prorsus imparem vestra humanitas, quam ego, non jam ut consuetudini serviam, sed ut mihi vestrum omnium adspectum ac doctrinam longe multumque reformidanti aliqua saltem ex parte consulam, a vobis omnibus oro atque obtestor.

I.

Nihil est tam insigne, neque ad diuturnitatem memoriae tam firmum tamque stabile, quam vera gloria. Haec incorrupta vitae testis, aequa pulcri rectique commendatrix, judex veritatis, consentiens laus bonorum, indigni silentii vindex et oblivionis, immortalium fama meritorum, virtutis comes ac socia, morum custos, religionis tutela, totius demum societatis quasi parens et effectrix, illustria tantum ac pervagata in universum hominum genus gesta condecorat, ad imitandum proponit, consignat posteritati. Quapropter mirari desinam, si omnes vivido aemulationis studio ducantur, diuturnos improbosque suscipiant labores, adspernentur pericula, curis vigiliisque maximis torqueantur distrahanturque, ut amplissimum quasi praemium gloriam sibi comparent, vitaeque angustias et infortunia rebus praeclare factis et immortalitatis spe ac memoria consolentur. Atque utinam homines singuli non eam laudem quaererent, quae habet speciem gloriae collectam ex inanissimis splendoris insignibus, sed illam, quae a vera sapientia existit, lucet ipsa per se, et omnium animos justa ad-

miratione percellit. Neque vero clarissimorum majorum nomina, fumosaeque imagines, nobilis atque spectabilis generis antiquitas, domesticarum facultatum copia, praesignis honorum hereditas, titulorum series, munera, dignitates, bonaque alia adventitia plerumque ac fortuita germanum gloriae decus constituunt, quum hoc in sola virtute positum sit, in eaque omne firmamentum suum habeat atque stabilitatem. Potuisset enimvero et Joannes Andreas Avogadrus nobilissima venetae gentis familia ortus fugacia haec et caduca ornamenta aut tueri, aut facile adipisci; nisi illud vel a primo florescentis aetatis articulo ejusdem animo insedisset, hanc imaginem gloriae ad tempus allicere, non solidum ac perpetuum esse suae virtutis testimonium. Quamobrem quum verae gloriae quasi solum ac fundamentum et habeatur et sit recta adolescentiae institutio, et optimus litterarum scientiarumque apparatus, nihil sibi potius fuit, antiquius nihil, quam ut Societati Jesu sexdecim vix annos natus se totum committeret. Quam Societatem quum dico, illam intelligo providentissimo consilio institutam, sanctissimorum hominum illustratam triumphis, ad extremas usque ac barbaras nationes perquam celerrime perductam, lateque propagatam, multis sacrarum dignitatum vel invite distinctam luminibus, doctrinae sedem, sapientiae domicilium, templum religionis; in quo semper magni viri multiplici scientia praediti ac pietate insignes floruerunt. In hac itaque pulcherrima et instructissima quasi palaestra constitutus Avogadrus ad id omnem operam studiumque conferre, ut et dulcissimorum parentum desiderio, et splendidissimae patriae

exspectationi satisfaceret, et se illi gravissimo ordini commendaret, cui nemo dabat nomen, nisi qui ingenii, probitatis, religionis laude praeluceret. Quae sane cooptatio, si reliqua omnia deessent, satis superque in se habet, quo tanti viri gloriam ac celebritatem admiremur. Quid vero si testes proferre possum auctoritate gravissimos, quos hic praesentes moerentesque intueor (1), qui ejus in humanioribus litteris solertiam et ingenium non vulgare; in scientiis vero judicium ac maturitatem magnifice praedicant? Quid si certissima exstant monumenta, quae ipsum uno eodemque tempore tum theologiae navantem praeclare operam, tum etiam sacro oratoris munere, ad quod natura ipsa ferebatur, utiliter ac gloriose perfunctum nobis exhibent contemplandum? Et jam emensus erat, perquam honorifice singula suae Religionis tirocinia, officia, ministeria, disciplinas, exercitationes quasque diutinas ac gravissimas, quas ubi quispiam, quemadmodum ipse, decore sustinuisset, jure optimo gloriari poterat se ad summum veluti honoris culmen ac fastigium pervenisse. Quum itaque sapientissimi Societatis moderatores, ingeniorum et voluntatum judices saga-



(1) Hos inter aderat Hieronymus Mantovani venetus, quem nominatum volo grati animi et obsequii causa, cujus memoria perennis erit ac jucunda tum ob multos exquisitosque libros, quibus patavini Seminarii bibliothecam auxit et insignivit; tum ob religionem vere eximiam, quae optimum virum, gravem annis, nec valetudine valde prospera ad reviviscentem Jesu Societatem Lepidi usque Regium perduxit, antiquisque regulis obstrinxit.

cissimi, viderent ac probe cognoscerent, Avogadrum sacrae eloquentiae et praesertim habitis ex tempore sermonibus plane natum, hanc ipsi statim provinciam demandarunt ea mente et consilio, ut juvenes suos in religiosae ac civilis communionis spem ac bonum succrescentes, ad pietatem honestosque mores instrueret et informaret. Placeret Superis, ut modo adolescentes illi fortunatissimi in conspectum vestrum prodire possent, qui toties eumdem primas religionis institutiones nitide ac eleganter explicantem, atque altius animis imprimentem suspexerunt, et admirati sunt: hi enim soli praestantissimi viri ac doctoris laudatores digni atque praecones existerent. Quod quum haudquaquam fieri possit, quantum in his profecerit, quamque magna ex faustissimis hisce initiis veri decoris lux sibi affulgere, et in dies magis augeri visa fuerit, malo vos, Auditores, ex vobis ipsis existimare, quam ex mea oratione cognoscere. Verum vir amplissimus (proh humanarum rerum volubilem ac deplorandam conversionem!) repente cogitur in medio gloriae quasi cursu consistere. Concidit enim altissimo divinae Providentiae arcano Arbor illa ingens ramorum copia, viriditate foliorum, dissimilitudine florum ac fragrantia, fructuum demum omnium ubertate affluens et amoenissima; ita tamen concidit, ut distracto avulsoque trunco, semen terra conditum et opertum *ad majorem Dei gloriam* in posterum servaretur. Amissae Religionis desiderio sic doluit Avogadrus, ut non ita unquam doluerit amantissimus filius matrem ademptam. Num propterea ejus gloria defecit? Non ita vero. Virtus siquidem sui semper conscia ac

tenax nulla unquam vi labefactari potest, nulla temporum perturbatione converti; quin etiam ex ipsis rebus asperis et adversis majores sumit vires, sustinet impetus, procellas spernit atque tempestates, emergit e naufragio, mediisque in tenebris elucescit, splendidissimus veluti sol, qui nubibus licet usquequaque obductus atque obrutus, nullam nativi luminis ac fulgoris imminutionem patitur aut jacturam. Crevit itaque et in dies magis spectatissima ejusdem virtus adolevit, ut, quamquam ex ipso verae gloriae domicilio ac sede evulsus fuerit atque ejectus, se tamen semper Jesu socium esse meminerit, propterea que solitudinem suam et antiquam sublatae parentis memoriam vita atque factis cohonestaret. Veronam igitur tamquam apertum promovendae pietatis curriculum ingressus, nihil praetermisit, quod a viro egregio maxime erat expetendum, quum tanta ejusdem fuerit eloquendi dexteritas singulis hominum coetibus accommodata, doctis elegans, perspicua mediocribus, imperitis volubilis ac facilis; tanta in administrando Poenitentiae sacramento, in expiandis peccatorum sordibus, vulneribusque sanandis assiduitas, charitas atque prudentia; tanta demum in singulos Veronenses comitas, fides, liberalitas, ut communis desiderii praenuncia ejusdem fama ac nomen ad ipsas magni Pontificis Pii VI aures pervenerit, atque adeo a sanctissimo universae Ecclesiae parente ac provisore prae ceteris ipse unus amplissimo huic gregi episcopus praeficeretur, addito insuper ad pontificale Solium assidendi honore, collatoque praelati domestici munere ac dignitate. Quod si privatus quamvis et obscurus tantum sibi

gloriae ac decoris adeptus est, quid nunc media in luce et illustri theatro collocatus de se polliceatur? Alterum itaque quasi stadium majus certe atque honorificentius subeuntem Avogadrum spectemus, in quo ejus pastoralis officii studium ac virtus plenius explendescit.

II.

D. Paulus (1) eminenter docet, et expresse testatur veram episcopi gloriam in eo consistere, ut multas easque summas virtutes in unum complectatur, vigilantiam in primis, charitatem, doctrinam, justitiam, hospitalitatem, continentiam, in rebus secundis moderationem, constantiam in adversis. Ad hanc sapientissimi institutoris doctrinam ita se totum contulit Avogadrus atque conformavit, ut et D. Pauli discipulus et dignus Apostolorum successor dignosceretur. Ac ne ullus oratoriis fallaciis, aut assentationi locus esse videatur, agite dum, Auditores, ac mecum recolligite, quemadmodum hae virtutes omnes in diligentissimo gregis veronensis custode atque moderatore eluxerint, ejus comites et administrae in procuranda dioecesi, optimisque consiliis ac disciplinis stabilienda.

Qua primum ipse vigilantia, qua sollicitudine fuit! Pulcra sane res et magnifica videre pastorem operosissimum strenuumque cultorem, simul ac caelesti quodam munere vinea illa tam ingens tamque dispersa

(1) Vid. Epist. ad Timotheum c. 3. et ad Titum c. 1.

in ejus fidem atque potestatem concessit, partes implere omnes parentis optimi atque studiosissimi: qua longum iter et arduum in singulas suae dioeceseos regiones suscipere, et laborum periculorumque immemorem inaccessa montium juga atque tractus illos ad Rhetiae usque fines protensos superare, apertos lustrare agros, paroecias invisere, templa, aras, insignia sacra, explorare omnia, omnibus consulere ac prospicere; qua errantes ad bona pascua reducere oves, purisque fontibus recreare; nunc aridos deputare palmites ac noxiam herbarum sterilitatem ab electis frugibus secernere; modo vitiatis plantis medicinam adhibere, modo ramos ad perniciem infectos divellere; hic serere, rigare illic; alio flavescentes maturasque messes colligere; fundum omnem arando quodammodo subigendoque ad laetam segetem ubertatemque convertere; in eo denique totum dies noctesque occupari, ut ovile sibi concreditum ac vinea ab omni labe et injuria salva atque incolumis fidelissime et integerrime servaretur.

Cui vero non audita incredibilis ejusdem charitas, et effusa in miseros beneficentia? Experta est ab ipso episcopatus ingressu splendidam munificae manus largitatem derelicta tot indigentium ejusdem quotidie affusa aedibus multitudo. Sensere clam missum, et in re praesens levamen ingenuae honestaeque familiae, quas a publico quaestu retinebat pudor quidam, et lapsae fortunae recordatio. Paternum animum et eximiam liberalitatem vidit et cognovit recreata saepius viduarum solitudo atque squalor, adhibita pupillorum cura, puellarum in tuto posita pudicitia, vel ipsa tam-

dem Judaeorum ad veram religionem sponte facta conversio necessariis ad vitae commoditatem adjuta et ornata praesidiis. Illud enim tanti episcopi mente infixum erat et alte insculptum nihil esse nimirum tam angusti animi tamque demissi, quam amare divitias; nihil honestius ac magnificentius quam proprias opes et Ecclesiae in primis patrimonium ad beneficentiam liberalitatemque conferre. Quod quidem quum mature et cogitate secum reputaret, illud etiam eidem in mentem veniebat non paucas nec leves impediri jacturas, si opportuna miserae ac periclitantis vitae necessitatibus praeberentur remedia: ex quo incredibile dictu est, quanto studio, quantaque alacritate res suas omnes beneficentissimus pater indigentibus filiis elargiretur, qui animam ipsam pro ovibus suis dare non dubitasset. Quodnam vero nunc ingenium tantum aut tanta dicendi facultas, quae merita laudum commendatione egregium illud atque praeclarum institutum possit unquam exaequare, quo pii veronensis ecclesiae sacerdotes, Avogadro duce et hortatore, singulis diebus, ne dicam horis, publicum aegrotantium domicilium atque asylum frequentant, perquam solliciti eorum aerumnis praestolantur, eosdemque animis et corpore prostratos religiose et humaniter erigunt, solanturque? Quoties et quam saepe idem ipse benevolentissimus antistes eorum lectulis adesse visus, suis ipsis manibus alimenta, modo his, modo illis patienter sufficere, eorum miseriis illacrimari et occurrere, excitare afflictos, jacentes attollere, allicere omnes, excutere, et aut pristinae valetudinis reditu, aut futurae ac immortalis felicitatis spe confirmare. Sed nolo hanc

ejus praecipuam singularis charitatis laudem ornatius extollere, quum ea, quae Christi causa facta sunt, non humanam gloriam quaerant, sed divinam praemiorum aeternitatem.

Jam vero quanta episcopalis doctrinae lux! Quam multiplex, quamque copiosus sacrae aeque ac profanae eruditionis thesaurus! Peritissimum sacrorum Canonum et ecclesiasticae historiae virum declarant saluberrima edicta ad gregis sui mores et disciplinam providenter excogitata, vulgata utiliter: pastorales epistolae tum paternae pietatis, tum sapientiae plenissimae: summam vero persuadendae multitudinis commovendaeque vim atque robur testantur ac praedicant fervida illa, quolibet die festo, populo familiariter habita alloquia plane sua, in quibus, viri experientissimi judicio (1), parem habuit neminem; frequentissimi illi in singulas civitatis ecclesias interventus, ne dicam suavissimae consuetudines, quibus christianae doctrinae magistros sua excitabat praesentia, teneras vero puerorum mentes ad prima catholicae religionis rudimenta celerius arripienda, memoriterque tenenda praemiis invitabat, impellebat laude, hortationibus confirmabat suis. Nec vero mihi horum quidquam praestabilius videtur ad



(1) Hoc totum debeo humanitati ac benevolentiae nobilissimi et doctissimi viri, in hac cathedrali ecclesia canonici, Justi Antonii Bolis, qui litteras ad se missas ab illustrissimo ac reverendissimo episcopo ariminensi Gualfardo Ridolfi, olim Avogadro vicaria procuratione conjuncto, mecum perofficiose communicavit, ex quibus multa etiam alia collegi laudationis veritati maxime consentanea.

ejusdem ingenii et judicii praeconium, quam perorataе illae e publico suggesto conciones, mandatae litteris ad bonum religionis et ultimae memoriam posteritatis. Quas quidem disertissimas orationes, quum et universa veronensis civitas (cujus teretes ad modum aures ac religiosae ad bene recteque sentiendum) unanimi semper approbationis consensu ac plausu prosecuta sit; quumque a viris Italiae principibus ac doctissimis tam gloriose, tamque magnifice, ut supra nihil, de iisdem pronuntiatum fuerit; non est, Auditores, cur ego in praesens lectissimam argumentorum vim, et copiam difficillimis religionis temporibus aptam prorsus et idoneam, plenam Scripturarum intelligentiam, exquisitam sanctorum Patrum eruditionem, rerum ordinem, sententiarum majestatem, verborum splendorem et elegantiam, ceteraque alia solidae vehementisque eloquentiae decora et ornamenta pluribus commemorem, ne non tam efferre, quam ingenii tenuitate tot ac tantas viri eloquentissimi virtutes videar imminuere. Ad te itaque potius gratulabundo animo ac laeto me vertam, veronensis ecclesia, cui tantus episcopus veluti e caelo delapsus doctrina sua ac sapientia singulari magistros illos *prurientes auribus* tuis non tam pervicit, quam suis ipse telis ita confecit, ut proxime ac secundum parmensem id aetatis antistitem, alter sui saeculi Paulus praedicaretur. Hinc profecto illud etiam a providentissimo episcopo cautum consultumque fuit, ut quum nihil vidisset ad profligatae vitae ac morum emendationem tam potens tamque efficax, quam populi licentiam, semidoctorum arrogantiam, depravatas perditorum hominum opiniones

ac voluntates sacra dicendi gravitate teneri, comprimi, converti, id in primis curaverit, ut amplissimum sacrae eloquentiae Gymnasium ac ludum iis potissimum clericis aperiret, qui ceteris litteratura, scientiis ac vitae innocentia praecellerent. Ecquis vero ipso divinarum rerum aut moralium disciplinarum scientior ac peritior? Talis ac tantus in utrisque fuit, ut et maxime singuli sacerdotes in sui admirationem abriperentur, et clericorum nemo eidem se coram sistere auderet, nisi prius multa exercitatione, diuturnoque studio se ad id discrimen comparasset. Atque ut nihil, quod ad ecclesiasticae disciplinae lumen et dignitatem pertinet, missum faceret, a se institutam sacrorum rituum et gregoriani cantus disciplinam a suis quotidie coli voluit et celebrari. Hic vero locus esset, Auditores, quo nostra haec qualiscumque exsultaret oratio. Si enim alibi unquam, in suum certe Seminarium omnem doctrinae ac sapientiae lucem effudit. Verum ne inexhausto tanti sideris splendore offundar, hoc brevissime dicam, antistitem strenue meritum ita Seminarium suum rebus omnibus semper instruxisse, quemadmodum principem totius dioeceseos partem ac provinciam decebat, ex qua tamquam ab arce tutissima et ornatissima juventutis educatores, pastores gregis, animarum curatores, primarios religiosae simul ac civilis societatis institutores exire et disseminari oportebat. Quid igitur mirum si veronensis ecclesia aptioribus in dies ministris disciplina ac scientia ad exemplum praestantibus et eluxerit et adhuc efflorescat?

Doleo sane rerum magnitudine ac temporis angustiis impediri, ne fusius dicam de ejus consilio et con-

tinentia, de judicio et aequitate maxima in optimis sibi procurandis adjutoribus, sacerdotiis, dignitatibusque conferendis pro singulorum perspecta probitate atque doctrina, unde profecto magna in eum, qui eligit, gloria, majus vero in ecclesiam universam redundat decus et emolumentum. Quamquam quid ego plura? Vos vos revocate animo, cives veronenses, compositam illam in tanto dignitatis fastigio, affabilemque naturam, domum hospitalem, facilesque ad eum aditus, etiam quum gravissimis curis distineretur, oblata laboranti conscientiae subsidia, redditam familiis concordiam, auctum educandae prolis studium, a quo tamquam ex uberrimo fonte societatis et ecclesiae felicitas dimanat. Recordaminor, illustrissimi ac reverendissimi veronensis ecclesiae Patres, egregiam illam in quolibet vel difficillimo negotio expediendo celeritatem cum prudentia conjunctam, fraternam charitatem atque benevolentiam, qua vos omnes complectebatur, pietatem illam jucundissimam sibi, acceptam vobis aliisque frugiferam, commemorandam animi moderationem, qua de se in tanta meritorum luce ita caute sentiebat, nihil ut ageret, decerneret nihil, nisi prius vos ipsos probatissimos viros consuleret et res ex vestra sapientia atque auctoritate melius ac tutius cognosceret.

Sed jam tempus est, Auditores, ut inauditam prorsus ac novam ejusdem in rebus asperis, adversisque constantiam admiremur. Quamquam sinite me consulto praeterire illorum temporum injuriam et calamitatem: nemo est vestrum qui nesciat, nemo qui non adhuc ira ac dolore maximo concitetur. Quidni

quum sciat, virum hunc, magnum ecelesiae lumen ac sidus ingruentibus impietatis tenebris paene obrutum fuisse ac mersum? O tempora omnium asperrima! O fata crudelissima! O dies atri atque nefandi! Tantum igitur antistitem cum primis ac nobilissimis viris in carcerem conjici ae detrudi! Obsideri armatis, plures dies teneri, argui, increpari, malis extremis angi atque confici! O gloriosum sane earcerem, ubi angelum aliquem eaelo repente demissum adfuisse arbitror, non qui eatenas solveret, sed qui captivum illustrem maximeque verendum divina sustineret ope, ac fortitudine roborar t! O careerem aetatum omnium commendatione et praeeonio dignissimum, qui difficillima illa et perillustria primae ecclesiae saecula in mentem revocas, quibus laudibus te efferam, cui te comparem, quo pietatis monume nto, qua grati animi significatione te amplectar, te osculer, et memoria prosequar sempiterna! Ego equidem eareerem hunc tamquam eonstantiae propugnaeulum, gloriae areem, templum victoriae suspicio ac veneror, quum tanti viri invieta virtus, omnem ejus ignominiam detraxerit. Quae hic quamque insolens contentio! Pugnat ac mirifice eertat humilitas eum arrogantia, fides eum fraude, patientia cum furore, pietas cum saerilegio, continentia cum luxuria, bona ratio cum perdita, episeopalis officii sanctitas cum intolerandae temeritatis vi ac scelere; unde profecto heroicae fortitudinis et aequabilitatis extitit exemplum posteris omnibus imitandum. In quibus quidem haud scirem utrum plus ille aegritudinis ac mali, an triumphi et gloriae retulerit; illud certo scio sensisse Avogadrum, et expertum esse in his aliisque

multis vicibus sustinendis duorum insignium virorum(1) magnanimitatem et amorem singularem, quorum alter dignus propterea, nisi obstitisset ejusdem modestia, qui cathedralis ecclesiae archipresbyter unanimi consensione renuntiatus emineret; alter vero dignus qui in praesulis locum sufficeretur, nisi ipsum amplissimum antistitem et amantissimum ariminensis ecclesia ad se vocasset. Quapropter illud Christi diu multumque secum cogitans Avogadrus (2) *quum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*, cessit temporibus formidolosissimis, et bono conscientiae judicio ac testimonio obsequens, prius tamen rebus suis in pauperum subsidium, et ecclesiae cultum erogatis, adeoque ab immortali Pio VII efflagitata diu, impetrata tandem facultate (3), se se ab episcopali



(1) Horum alter Sanctes Nodari vir de sua patria praeclare meritus, et orator in laudandis praecipue Superis celebratissimus; alter vero Gualfardus Ridolfi, de quo supra pag. 16.

(2) Matth. cap. 10. v. 23.

(3) Non possum quin ipsissimas Pii VII litteras Avogadro missas hic subjiciam ad tanti viri laudem non vulgarem.

PIUS PAPA VII

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Litteras tuas die octava mensis proxime elapsi ad nos datas accepimus; iis tamen respondere ad hoc usque tempus distulimus, quod nullo modo adduci poteramus, ut tibi veronensem episcopatum dimittere cupienti obsequeremur. Tanto enim cum gregis tibi commissi bono, tantaque cum tui nominis laude veronensem hactenus ecclesiam rexisti, ut illam

munere abdicavit. Gravis quidem jactura populo veronensi! Grex tamen felix, cui contigit, ut alter (1) e clarissimo Cassinensium ordine designatus, doctrina, eruditione, consilio, amissi pastoris dolorem ac desiderium temperaret. Quid interim Avogadrus? Num solutus onere et occupatione muneris sui, otio indulget et quieti? Immo vero majores concipit curas, refert animum ad grandiora, liberiorem campum ingreditur, quem totum excurrere perquam celerrime nostra gestit oratio.

III.

Quemadmodum itaque aliquis nobilissimae honestissimaeque gentis filius, expulsae ac fugitivae ma-

te sui pastore destitui nos pati omnino non posse videremur. In vocatione igitur, qua vocatus eras, permanendum tibi esse rebamur. At petitiones tuae adeo vehementi studio iteratae animum denique nostrum pervicerunt. Quapropter, aegre tamen, prorsusque invite, veniam tibi damus, ut episcopatu veronensi cedere possis, ita tamen, ut ecclesiam, a qua brevi te abdicaturus es, Deo jugiter commendes, quo laetos illos bonorum operum fructus edere pergat, quos te illam administrante edidit; paterneque charitatis affectu te, venerabilis frater, complectentes apostolicam tibi benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 17 Augusti 1805.

Pontificatus nostri anno sexto.

Dominicus Testa.

(1) Clarissimus antistes Innocentius Maria Liruti.

tris suae dolore flens atque consternatus, si fama accipiat eam in remotissima aliqua regione latitare, eo illico rerum omnium ac sui prope immemor convolat, in ejusque complexum ardet occurrere: ita Avogadrus quum sibi nuntiatum fuerit parentem suam sibi vita ipsa cariorem, sui ab adolescentia altricem, Jesu videlicet Societatem Neapoli tamquam in tutissimo quodam perfugio adhuc vivere et respirare, posita repente mitra, dejecto lituo, aetate licet ingravescente, spernens itineris labores et discrimina, cupit illam revisere, suaque opera et praesidio, quantum posset, juvare. Jamque decursa alacriter via Cajetam appellit, ubi multos e veteribus sociis eo usque progressos, bellique terrore ac vi retardatos consalutat humaniter, cum iisque de felicitate ac bono reviviscentis Religionis, et antiquum decus reparare cogitantis, plura graviter communicat, matureque decernit. Qui tunc animus, Auditores, Avogadro nostro? quae mens? qui sensus? quae laetitia ac triumphus in eam spem erecto, ut illa iterum oscularetur, et indueret exoptata insignia, quae moerens ac desperato animo exuerat, ac pristinas regulas amplecteretur, quas a prima aetate professus, summo cum studio ac fructu ad extremum vitae tempus lubentissime coluisset? Verum o frustra concepta desideria! O spes fallaces! Non ita vero, Auditores, si divino munere atque concessu ad hanc usque diem, qua Italiae caelum, reddita tandem pace, ridet et hilaratur, licuisset viro praeclarissimo vivere, et nobiscum versari. Illa illa Roma, quo tunc Cajeta exturbatus et ejectus, nescio qua vi tempestatis profectus es, in restitutum Religionis domicilium, te nunc

peramanter exciperet, atque amplissimum Societatis provisorem et amplificatorem haberet. Non ideo tamen tui urbem hanc oblitam existimes, quum ingenuum et efficax eloquendi robur grata recordatione etiam nunc commemoret ad recentium alumnorum aemulationem, aedesque sacras ac templa religiosissima iisdem designet, quae adhuc voce illa tua gravi ac vehementi personare videntur. Nec vero Romam tantum spectat Avogadrus, exteras etiam dissitasque terras metitur animo, noricas transcendit Alpes, principem adit totius Germaniae civitatem. Tanta celeberrimi oratoris existimatio repente assurgit, ut ei munus impositum fuerit nunciandi divini verbi, non populo, sed ipsis viris aulicis. Habet etiam gratiam apud conjugem augustissimi imperatoris Francisci I (quem quum nomino, Constantini religio ac Titi clementia et liberalitas animo obversatur) et ab hac lectissima imperatrice atque innocentissima tamquam pius consiliarius et conscientiae moderator deligitur. Qui sane honor si non illustris veluti et singularis summae dignitatis cumulus habeatur, ecquis tandem erit? Post haec res sane levis et exigua censeri posset, si commemorare vellem viennensis nobilitatis collata in Avogadrum beneficia, matronarum munificentiam, doctorum hominum laudes, totius civitatis plausus et admirationem. Ita enimvero, nisi illud perquam gloriosum sit atque egregium, non jam a paucis tantum etsi viris maximis, verum etiam ab omnibus unanimi excipi benevolentia atque existimatione. Quod quidem quum multis aliis rebus, tum plurimis praecipue litteris a principibus Viennae viris ad se vel pau-

perem et aegrotum continenter ac liberaliter missis luculentius evincitur. Quibus praeclare perfunctus ad Tiberis oras ac religionis sedem revertitur. Nec vero putetis virum hunc tot laboribus paene confectum, gravem annis, vicibusque maximis conflictatum requiem tandem et honestum otium quaerere. Nihil hoc injuriosius sibi aut indignius esse arbitratur, neque *facit animam pretiosiorem, dummodo consummet cursum*. Conciones habet ad populum, viros nobiles alloquitur, convocat sacerdotes et universum clerum, eidemque gravissimas res enunciat, ac singulos monet de vitae honestate, de modestia, de necessitate scientiae, illudque maxime omnibus commendat, ut quanto reliquis civium ordinibus, dignitate et auctoritate praestant, tanto bonis moribus et exemplo ceteris omnibus antecellant. Atque hic mihi credite, Auditores, non possum quin cum lacrimis et magno pietatis sensu rem vobis exponam per mihi miram ac vix credibilem, nisi vir fide dignissimus et episcopalis laboris adjutor assiduus et indefessus (1) ab eodem ipso integerrimo Avogadro se id audisse saepius testaretur. Quoadusque itaque Romae mansit, tamdiu autem mansit, quamdiu opus fuit, in intima Pontificis summi et invicti Pii VII penetralia perhumaniter ac frequenter admittebatur, apud quem commoratus crebris usurpabat sermonibus plures easque perpessu asperas et acerbas calamitates divini Numinis ope ac praesidio a se felici-



(1) Nobilissimus vir Franciscus Antonius Fantini canonicus theologalis et vicarius generalis patavinae dioeceseos.

ter superatas Pontificis maximi multis ac gravibus curis distenti afflictique praesentissimus quasi comes atque solator. Quae et quanta laus ex hac illustri benevolentia ad eumdem permanet, nemo non videt, vel me tacente, quum magnum quiddam sit, neque pluribus concessum, posse sanctissimos ejusdem pedes deosculari. Fecissent Superi, ut ad extremum usque vitae exitum tam caro tamque augusto uti potuisset accessu et colloquio! Verum exsulante Pontifice summo, Religio ipsa e maxima totius Italiae urbe exsulasse visa est. Romam et ipse reliquit, non tam suam conquestus sortem ac dolens, quam quod desponderet animum, nec posset gravissimum vulnus ex foeda tanti facinoris indignitate acceptum ferre ac perpeti. Num iccirco provectum sacri oratoris officium aut neglexit, aut oblitus est? An non potius sin minus dexterae, linguae certe gladio in eo maxime elaboravit, ut et parentis sui exsulationem, et universae ecclesiae lacrimas, quasique viduitatem consolaretur? Dies me deficeret, Auditores, si principes Italiae urbes, oppida, vicos, vel ipsa rura enumerare vellem, quae Roma profectus sincera ac facili dicendi ingenuitate docuit ac permovit. Sed jam ipsum compellat amantissima patria, Venetorum civitas, cupit convicem suum jamdiu absentem recipere, et ejus facundia recreari. Aequissimum sane et dignum urbe religiosa desiderium! At maxime dolendum erit praeclarissimae civitati quum illum videbit animose supra aetatem in templo perorantem (2) improviso morbi impetu correptum

---

(1) Hoc accidit Venetiis anno 1811 quadragesimali tem-

ac perculsum, media in actione totis artubus contremiscere, voce haesitare, interruptim loqui, tanta tamen constantia, ut non prius ex edito loco abierit, quam totam orationem pro virili absolverit. Quem itaque nec labores, nec vis, nec pericula, nec aetas ab instituto verae gloriae curriculo retardarunt, vicit tandem fatalis morbi necessitas. Vires in dies magis deficere, torpere mens, augeri aegritudo. Ad te igitur, civitas patavina, tamquam ad unicum vitae laborantis perfugium se contulit, et tranquillo veluti in portu cum sorore innocentissima ac nepte integerrima (1) conquievit. Quis vero te non diligat, urbs antenorea, non amet, non in sui domicilium ante alias eligat, quae tui situs amoenitate, purissima aeris colles inter et irriguas Medoaci undas salubritate, commodis porticibus, sacrarum aedium amplitudine ac frequentia, tot monumentorum insigni pompa ac vetustate, doctissimorum hominum consuetudine, gravitate civium honesta et ingenua, ceterisque humanioris vitae ornamentis atque cultu nulli invides, plurimis invidenda? Multa et hic obscurus licet, aeger, voluntate ac fortunis pauper pristinae virtutis dedit monumenta. Hic et pauperes numquam ab ipso inanes dimissi collaudant ejus plus quam humanam charitatem, qui eas ipsas largitiones ac munera ab insignibus viris sibi clam tributa cum ipsis fere semper com-



pore in ecclesia, quae vulgo *i Frari* nuncupatur, cum maximo totius civitatis moerore ac luctu.

(1) Francisca nimirum et Maria Avogadro ambae moniales religiosissimae.

municabat. Hic et sacrae virgines, indelibatus christianae religionis flos, fervidissimum concionandi studium summis efferunt praeconiis, utpote quae numquam ejus sacris interfuerunt, quin ipse easdem et sanctissime alloqueretur, et optimis institutas consiliis atque disciplinis dimitteret. Referamne modo incredibilem ejusdem in diuturno, molestoque morbo sustinendo patientiam, precum assiduitatem ac fidem, peculiarem erga Deiparam et intactum ejusdem Sponsum devotionem atque amorem, reperta post ejus obitum instrumenta corporis excruciandi, ejusque interitum immortalis vitae principium ac praemium? Haec de tanto viro referre injuria virtutum foret. Quapropter brevi praecidam, si dicam, adeo antistitem hunc Deo suo carum atque acceptum fuisse, ut vel ipsa mors, formidolosum illud ac teterrimum monstrum, ejusdem mentem aegritudinis diuturnitate confectam atque dilapsam nequaquam turbare potuisse, aut angere visa fuerit.

Obiit itaque egregius Avogadrus, et ita obiit, ut decuerat optimum Societatis Jesu alumnum, vigilantissimum episcopum, integerrimum divinae legis praeconem. Etsi vero in tanta rerum omnium inopia ac paupertate decessit, ut qui efferretur, vix reliquerit, fidem tamen nactus est et curam singularem honestissimorum nepotum sibique devinctorum maxime; splendidam nobilissimorum cathedralis ecclesiae Patrum liberalitatem (1), insignem Praesulis amplissimi prae-



(1) Ut intelligatur nobilissimorum cathedralis ecclesiae Patrum in Avogadrum animus ac munificentia, nihil aptius

sentiam, magnificum lugubris hujusce pompae apparatum, exquisitum flebilium vocum et dolentium cithararum discrimen, frequentiam spectatorum tantam atque concursum, magna denique et illustria moerentis patavina in urbe religionis officia atque parentalia. Quae quidem religio casu acerbissimo commota deflet duos antistites tam brevi temporis intervallo sibi sublatos, spargit moestis floribus eorum tumulos, atque inter lacrimas ad tanti luctus et squaloris levamen ac solatium oculos erigens ad caelum Deum precatur, ut Pastorem suum patrem optimum et amantissimum diu sospitet ac tam longe lateque porrecti sacerdotii, gregisque curis parem servet atque confirmet; efficiatque clementia sua, ut patavina dioecesis ejus doctrinae, prudentiae, benignitatis, fidei, charitatis pignora ac monumenta in multos annos feliciter experiatur.



video et insignius, quam habitum a reverendissimo Capitulo hac in re consilium suis ipsis verbis transcribere.

In Christi nomine amen.

Millesimo octingentesimo decimo quinto, indictione decima tertia, die lunae, triginta mensis januarii Paduae in sacristia majori ecclesiae cathedralis mane post chorum.

Convocato, ut moris est, et legitime congregato reverendissimo Capitulo.

Addi 30 Gennaro 1815.

D' ordine di monsignore reverendissimo Arciprete Presidente s' invita V. S. Reverendissima per questa mattina

dopo coro a Capitolo per sentire quanto da esso verrà esposto intorno ai funerali per monsignore reverendissimo vescovo Avogadro morto in parrocchia di questa cattedrale, e prender parte quatenus ec.

In quo quidem Capitulo interfuerunt

Reverendissimus Julius Antonius Zane archipresbyter praesidens, omissis ceteris repraesentantibus.

Venendo ora partecipata da monsignore reverendissimo nostro Arciprete Presidente a questo Capitolo la mancanza a' vivi seguita nella notte dello scorso sabbato 28 *corrente di monsignore reverendissimo Giovannandrea Avogadro domiciliato in parrocchia di questa cattedrale, fu già vescovo di Verona chiesa comprovinciale di questa Metropoli, ed esposto pure il desiderio dei nobili di lui parenti, che il corpo dell' illustre prelato fosse tumulato in questa nostra chiesa; fatto riflesso da questo Capitolo al merito distinto del soggetto degno di rispetto e venerazione non solo per la sua dignità, ma per le circostanze altresì singolari di sua vita, che lo resero accetto a Dio ed agli uomini, e per cui la di lui memoria sarà sempre in benedizione; perciò vada parte che accolta, come ben si conviene, l'istanza fattaci, resti incaricato monsignor Arciprete Presidente unitamente alli due monsignori Canonici alle cerimonie di prendere le opportune disposizioni, affinchè nella giornata del prossimo mercordì sieno celebrate le pontificali esequie da tutto il clero di questa nostra chiesa col canto del mattutino, e colla recita delle laudi da morto, e messa solenne, a cui pure vi assisterà il corpo capitolare, assecondando così anche il religioso impulso di monsignore illustrissimo e reverendissimo nostro Vescovo, che ama di decorare col suo intervento la sacra funzione; al qual effetto lo stesso monsignor Arciprete passerà d'intelligenza con chi si aspetta in quanto occorresse per le convenienti appara-*

ture, e con monsignor nostro Camerlengo per la porzione di cera a solo uso necessaria dei monsignori Canonici, aggiungendovi al tumulo quel numero di torcie, che sarà creduto decente.

Qual parte posta alla ballottazione ebbe voti favorevoli n.° 15, contrarj nulla, e fu presa a pieni voti.

E rimase licenziato il reverendissimo Capitolo.

Antonio Wenceslao dott. de-Buzzaccarini
cancelliere capitolare.

Huc accedit inscriptio elaborata ab Antonio Calegari patavino S. Theol. doct. primum Seminarii pat. alumno, dein triginta et amplius annos in publicis civitatis scholis humaniorum litterarum praeceptore emerito.

A· ☧· Ω·

IOANNI . ANDREAE . AVOGADRO . DOMO . VENETIS

IN . SOCIETATEM . IESV . COOPTATO

PERVTILI . PRAECLARO

A . PIO . VI, VERONAE . ADSIGNATO . PONTIFICI

DOCTRINA. PAVLVM. CHARITATE. IOANNEM. LIBERALITATE. PETRVM

EGREGIE . IMITANTI

A . PRAEPOTENTI . TEMPORVM . ACERBITATE

DIVINO . CONSILIO . SERVATO

AD . IGNATIVM . REDEVNDI . VOTO

SE . AB . SEDE . ABDICANTI

MODESTISSIMO . PIENTISSIMO

NEPOTES . SVMMO . MOERORE . ADFECTI

P.

VIXIT . AN. LXXX

PATAVI . DECESS. V. KAL. FEB. ANN. M. DCCC. XV.

Haec circa feretrum

1. Usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis, *Eccl.* 1. 24.

2. Labia multorum enarrabunt sensum illius. *Ibi* 1. 30.

3. In tentatione inventus est fidelis. *Ibi* 44. 21.

4. Exquisivi Dominum, et exaudivit me, et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. *Ps.* 33. 5.

5. Factus es susceptor meus, Domine, et refugium meum in die tribulationis meae. *Ps.* 58. 17.

6. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me. *Isa.* v. 1.